

etiam erit causa coloris. Quod si autem posterioris, ajo potius aliam
causam quærendam esse, nam solum sulphur in flamma semper eun-
dem causaretur colorem, cum solum sulphur esset pabulum istius
flammæ. In posteriori ratione nego Minorem, præsupponit etenim
eadem quod probare debet: scilicet ad variationem sulphuris variari
colores, in illa quippe vicissitudine non solum sulphur sed alia insu-
per accidentia corporis variantur, confirmare vero debet illud esse
causam colorum & non horum aliquod. Nonnulli dicunt colorem
generari per condensationem perspicui: & probant hanc senten-
tiam, quia generalis causa exinde omnium colorum dari potest.
Æque tamen ambigua est hæc sententia ac proximè præcedentis
ratio prior. Incertum enim est utrum intelligant ipsam conden-
sationem, ita ut in eadem visus terminetur, an verò colores putent
oriri à condensatione, utrobique tamen difficultate premuntur.
Nam si prius illis placeat colores non different à raritate ac densita-
te, quibus tamen ipsimet specificam assignant differentiam: Si poste-
rius, tacta erit veritas sed nondum sufficienter expressa: illud quippe
quod à condensatione perspicui oritur est opacitas & umbra quibus
iisdem manentibus, h. e. non immutatis, in aliquo corpore, quæ fit
quod aliquando diversus ab eodem corpore radiet color, præcipue
si aliter atque aliter modificatum fuerit lumen illud illustrans? Non
itaque sufficiens multò minus generalis est causa colorum major vel
minor densitas quod per rationem suam volebant. Tandem ergo
illa potius arridet sententia quæ dicit: quod color sit *luminis se-*
cundum ejusdem processus & rotationis proportionem
modificatio ac limitatio; hæc autem limitatio oriatur non in
omnibus ab eadem causa, sed in aliquibus à dispositione & situ, in
quibusdam magnitudine in nonnullis ab umbra, & quidem partim
corporis colore imbuendi partim medii per quod lumen fertur, quæ
omnia nunc impediunt motum partium radium componentium se-
cundum lineam rectam, rotationem autem earundem promovent,
nunc protrudunt easdem partes obstant tamen circumvolutioni.
Hanc autem generationem colorum & non aliam ratio & experien-
tia unanimes suadent & cognoscetur ex hoc argumento: Ad cujus
varia